¶ Quam pauci sunt qui consilio se suaque disponant. Molestum est semper vitam inchoare. Male vivunt qui semper vivere incipiunt. Non potest autem stare paratus ad mortem qui modo incipit vivere. Id agendum est ut satis vixerimus. Nemo hoc praestat qui orditur maxime vitam. Quidam vero tunc incipiunt cum desinendum est. Si hoc iudicas mirum, adiciam quod magis admireris. Quidam ante vivere desierunt quam inciperent. ¶ Ipse voluptates in tormenta vertuntur. Cruditates adferunt ebrietates, nervorum torporem tremoremque libidines, pedum manuumque articulorum omnium depravationes. ¶ Turpe est aliud loqui aliud sentire. ¶ Cottidie morimur; cottidie enim demitur aliqua pars vite, et tunc quoque cum crescimus vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam; usque ad hesternum quidquid transiit temporis perit. Hunc ipsum quem agimus diem cum morte dividimus. Expergiscar, dormiam, esuriam, algebo, estuabo. Nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia; fugiunt ac sequuntur. Diem nox premit, dies noctem. Expecto cum magno fenore vitia reditura que nunc loco cessare, non desse. ¶ Ad legem nature revertamur. Divitie parate sunt. Aut gratuitum est quod agimus aut vile. Panem et aquam natura desiderat. Nemo ad hec pauper est, intra que quisquis desiderium suum claudit cum ipso Iove de felicitate contendat. ¶ Prodest sine dubio custodem sibi imposuisse et habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem longe magnificentius est sic vivere tamquam sub alicuius boni viri ac semper presentis oculis. ¶ Nemo est cui non satius sit cum quolibet esse quam secum. Incertum est quo loco te mors expectet; itaque tu illam omni loco expecta. Egregia res est mortem condiscere. Supervacuum forsitan putas id discere quod semel utendum est. Una est cathena que nos ligatos tenet, amor vite. Numera annos tuos et pudebit eadem velle que volueras puer. Moriantur ante te vitia. Dimitte istas voluptates turbidas; non venture tantum sed preterite nocent. ¶ Bona mens nec commodatur nec emitur; et puto si venalis esset non haberet emptorem. At mala cotidie emitur. ¶ Non sum uni angulo natus; patria mea totus hic est mundus. Non multum proderit vitia sua proiecisse si cum alienis rixandum est. Initium est salutis notitia peccati. Nam qui peccare se nescit corrigi non vult. Deprehendas te oportet antequam emendes. Quantum potes te ipsum coargue, inquire in te. Accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissime deprecatoris. Aliquando te offende. ¶ Non possum scire an ei profecturus sim quem admoneo; illud autem scio alicui me profuturum si multos admonuero. [illegible] verbo fracasse aut desinet, si interim mittendi consuetudinem fecerit. ¶ Quid illa laudata et omnibus preferenda artibus rebusque philosophia prestabit? Scilicet ut malis tibi placere quam populo, ut estimes iudicia non numeres, ut sine metu deorum hominumque vivas, ut aut vincas mala aut finias. ¶ Nullo genere homines mollius moriuntur. Bassus inquit tam stultum esse qui mortem timet quam qui senectutem. Nam quemadmodum adolescentiam senectus, ita mors senectutem sequitur. Vivere noluit qui mori non vult. Vita enim cum exceptione mortis data est. Ad hanc itur; quam ideo timere dementis est quia certa expectantur, dubia metuuntur. Mors necessitatem habet equam et invictam.